



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De conditionibus requisitis, ut ex causa metûs, constructus, vel alius actus rescindatur, vel etiam ipso jure irritus reddatur, & de actione & exceptione, quæ datur metum passo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

videntur, omitti posse hic; ne longiori
disputationi occasio detur: videri tamen
possunt apud Auctorem hic.

§. V.

*De conditionibus requisitis, ut ex
causa metus, contractus, vel alius actus
rescindatur, vel etiam ipso jure irritus
reddatur, & de actione & exceptione,
qua datur metum passo.*

UT rescindantur, vel irrita sint, quæ
metu extorta sunt, plures requirun-
tur conditiones. Prima conditio est, ut
metus saltem respectivè sit gravis, ut
dictum, neque enim ex quolibet metu
levi hæc rescissio concedi deberet, ne ni-
mium multiplicentur lites, quod bono
publico non conducit. Secunda est, ut
metus illatus sit ab extrinseca causa libe-
ra liberè agente. Ne, qui metus à causis
naturalibus oritur, à naufragio v. g. à
periculis bestiarum &c. morborum &c.
& ab intrinseco incussus dicitur, dicatur
irritum actum, aut votum in tali metu
conceptum facere, quod nemo asserit,
cùm nemini per talem metum injuria fiat.
Tertia est, ut injustè metus ille illatus sit,
qui enim justè infertur metus, nullo mo-
do invalidat actum ex tali metu factum,
cùm ille, qui metum talem patitur, causa

sit hujus metus, & sponte suâ aliquid e-
ligat ut medium, ad metum talem eva-
dendum. Quarta est, ut metus talis in-
curtatur directè ad extorquendum talem
consensum aut contractum, in aliis enim
casibus non tam ab alio, quàm à se com-
pellitur hic metum passus, ad matrimo-
nium v. g. contrahendum, aut religiosam
professionem emittendam; sunt tamen
aliqui, qui hanc conditionem necessa-
riam non putant, sed sufficere volunt, ut
aliis conditionibus præsentibus, per me-
tum injustè illatum consensus obtineatur,
ut nullus hic sit, vel saltem rescindatur,
in quocunque enim casu metus ille in-
justus causa est consensus. Quinta deni-
que conditio est, ut metum passus dam-
num aliquod inde habeat, restitutio enim
in integrum, quæ per rescissionem con-
tractus v. g. talis obtinetur, læsionem
supponit; & idè non tantùm actio, quod
metus causa, sive restitutio in integrum
datur metum passo, sed exceptio etiam,
quod metus causa, ut qui per metum talem
ad dandum aliquid aut promittendum
coactus fuit, repetere donatum possit,
aut excipere contra eum, qui metu in-
cussio promissionem obtinuit,
non solvere teneatur.

